



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

**Parisiis, 1644**

Concilivm Abrincatense, Qvo Henricvs II. Rex Angliae a sacrilega nece sancti Thomae Cantuariensis, antea per legatos absolutus, secundo absoluitur, & iurato promittit iterum quae iam ante promiserat: ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15588**

<sup>a</sup> **CONCILIVM ABRINCATENSE,**  
**QVO HENRICVS II. REX ANGLIÆ**  
 a sacrilega nece sancti Thomæ Cantuariensis, antea  
 per legatos absolutus, secundo absoluitur, & iura-  
 to promittit iterum quæ iam ante promiserat: item  
 decreta quædam per legatos apostolicos constituta,  
 quæ mores ecclesiæ concernunt, promulgantur anno  
 MCLXXII. sub Alexandro papa III.

## N O T A.

<sup>a</sup> *Concilium.*] De rebus in hac Synodo gestis, & constitutionibus pontificiis in eadem promulgatis, Rogerus in annalibus ista scribit: *Henricus rex Angliæ pater, & Henricus rex filius eius, & Rothodus Rothomagensis archiepiscopus, & omnes episcopi & abbates Northmanniæ, conuenerunt apud Abrincam ciuitatem, in presentia Theodini & Alberti cardinalium. In quorum audientia rex Angliæ pater, quinto Kalendarum Octobris, feria quarta, festo sanctorum Cosmæ & Damiani martyrum, in ecclesia sancti Andrea apostoli purgauit innocentiam suam coram predictis cardinalibus & omni clero & populo, prestitito sacramento super sanctorum reliquias, & super sacrosancta euangelia, quod ipse nec præcepit, nec voluit, quod archiepiscopus Cantuariensis occideretur: & quando audiuit, vehementer inde doluit. Sed quia malefactores illos, qui sanctæ memoriæ Thomam Cantuariensem archiepiscopum occiderunt, habere non poterat, & quia timebat ipsos illud profanum opus impetrasse causa animi motus & turbationis quam in eo viderant, de satisfactione tale prestitit sacramentum. Iurauit itaque in primis, quod ab Alexandro summo pontifice, & catholicis successoribus eius non recederet, quamdiu ipsum sicut regem catholicum habuerint. Iurauit etiam, quod neque appellationes impediret, neque impedire permetteret, quin libere fierent in regno suo ad Romanum pontificem, in ecclesiasticis causis: ita tamen ut si ei suspecti fuerint aliqui, securitatem faciant quod malum suum vel regni sui non querant. Iurauit etiam, quod ab instante natiuitatis Domini usque in triennium Crucem accipiet, in proxima sequenti ætate in propria persona Hierosolytam iturus, nisi remanserit per Alexandrum summum pontificem, vel per catholicos successores eius. Sed si interim pro urgente necessitate in Hispaniam super Saracenos profectus fuisset, quantum temporis in illo itinere consummaret, tantumdem Hierosolymitanæ spatium profectio- nis posset prolongare. Præterea iurauit, quod interim tantum pecunia dabit Templariis, quantum ad arbitrium fratrum Templi possit sufficere ad retinendum ducentos milites, ad defensionem terra Hierosolymitanæ per spatium vnius anni. Præterea perdonauit iram & maleuolentiam suam omnibus tam clericis quam laicis, qui pro sancto Thoma*

ANNO  
CHRISTI  
1172.

erant in exilio, & concessit eis libere & in pace ad propria redire. Iuravit etiam, quod possessiones Cantuariensis ecclesie, si qua ablatae sunt, in integrum restituet, sicut habuit vno anno antequam ex Anglia egrederetur beatus Thomas Cantuariensis archiepiscopus. Iuravit etiam quod consuetudines, qua inducta sunt contra ecclesias terre sua in tempore suo, penitus dimittet. Et haec omnia iuravit se fore obseruaturum bona fide & sine malo ingenio. Fecit etiam Henricum regem filium suum haec omnia capitula iurare tenenda; praeter illa qua propriam eius personam contingebant. Et ut haec in memoria Romanae ecclesie haberentur, rex pater fecit apponi sigillum suum scripto illi in quo supradicta capitula continebantur, vna cum sigillis praedictorum cardinalium. In hanc formam:

CHARTA ABSOLVTIONIS  
DOMINI REGIS.

Henrico Dei gratia illustri regi Anglorum Albertus tituli sancti Laurentii in Lucina, & Theodinus tituli sancti Vitalis presbyteri cardinales, apostolicae sedis legati, salutem in eo qui dat salutem regibus.

**N**E in dubium veniant quae geruntur, & vsus habet, & communis consideratio vtilitatis exposcit, vt scripturae serie debeant annotari. Inde quidem est quod nos mandatum illud in scriptum duximus redigendum, quod vobis pro eo facimus, quia malefactores illos, qui sanctae memoriae Thomam quondam Cantuariensem archiepiscopum occiderunt, occasione motus & turbationis quam viderunt in vobis, ad illud facinus processisse timetis. Super quo tamen facto purgationem in praesentia nostra de voluntate propria praestitistis, quod videlicet nec praecipistis, nec voluistis vt occideretur: & quando peruenit ad vos, plurimum condoluistis.

Acta publica scriptis tradita.

Ab instanti festo pentecostes, vsque ad annum, tantam dabitur pecuniam, vnde ad arbitrium fratrum Templi ducenti milites valeant ad defensionem terrae Hierosolymitanae per spatium vnus anni teneri. Vos autem a sequenti natali Domini, vsque ad triennium, accipietis Crucem; proxima tunc aetate illuc in propria persona, ducente Domino, profecturi; nisi remanseritis per dominum papam, vel catholicos successores eius.

Sane si contra Saracenos pro urgente necessitate in Hispaniam profecti fueritis, quantum temporis fuerit ex quo arripueritis iter, tantumdem supradictum spatium

Hierosolymitanæ profectionis poteritis prolongare. Appellationes nec impedietis, nec impediri permittetis, quin libere fiant in ecclesiasticis causis ad Romanum pontificem bona fide, & absque fraude & malo ingenio; vt per Romanum pontificem causæ tractentur, & consequantur effectum suum; sic tamen, vt si vobis suspecti fuerint aliqui, securitatem faciant, quod malum vestrum, vel regni vestri, non quarent. Consuetudines, quæ inductæ sunt contra ecclesias terræ vestræ, in tempore vestro penitus dimittetis, possessiones Cantuariensis ecclesiæ, si quæ ablatae sunt, in plenum restituetis, sicut habuit vno anno antequam archiepiscopus de Anglia egrederetur. Clericis præterea & laicis vtriusque sexus pacem, vestram gratiam, & possessiones suas restituetis, qui occasione prænominati archiepiscopi destituti fuerunt. Hæc autem vobis, auctoritate domini papæ, in remissionem peccatorum vestrorum iniungimus, & præcipimus obseruare absque fraude & malo ingenio. Hoc sane coram multitudine personarum iurauistis vos pro diuinæ reuerentia maiestatis. Iurauit & filius vester, excepto eo quod personam vestram specialiter contingebat. Et iurastis ambo, quod a papa domino Alexandro, & catholicis successoribus eius, quamdiu vos, sicut antecessores vestros, & catholicos reges habuerint, minime recedatis. Atque vt in memoria Romanæ ecclesiæ firmiter habeatur, sigillum vestrum præcepistis apponi.

Post hæc autem idem Rogerus his subiicit legatorum epistolam, tunc temporis datam ad Rauennatem episcopum, qua res tunc gestas scripsere. Sic se habet:

*Venerabili in Christo & dilecto fratri Giliberto, Dei gratia Rauennensi archiepiscopo, Albertus dignatione diuina tituli sancti Laurentii in Lucina, & Theodinus tituli sancti Vitalis, presbyteri cardinales, apostolicæ sedis legati, quod promisit Deus diligentibus se.*

Legatorum  
epistola ad  
archiepi-  
scopum  
Rauennen-  
sem.

**Q**VONIAM desiderare vos credimus, vt de statu nostro, & de iniuncti nobis promotione negotii aliquid audiatis, idcirco qualiter nobiscum, & per ministerium mediocritatis nostræ Deus egerit his diebus, fraternitati vestræ præsentî scripto duximus indicandum. Noueritis

ANNO  
CHRISTI  
1172.

itaque, quod postquam illustris rex Angliæ venisse nos in regnum suum in veritate cognouit, totius amoto tarditatis obstaculo, de Hibernia in Angliam, incumbentibus sibi negotiis prætermisissis, de Anglia vero ad Northmanniæ partes accessit, atque incontinenti plures ad nos nuntios & honorabiles destinavit, inquirens a nobis, in quo loco potius convenire cum eo & loqui vellemus. Placuit tandem ad Sauinium monasterium pro colloquio habendo concurrere, vbi religiosorum virorum possemus orationibus adiuuari. Convenimus illuc, conuenerunt & multæ personæ vtriusque ordinis de regno suo, & tractauimus diligentia qua potuimus quod ad salutem ipsius & iniunctam nobis obedientiam pertinebat. Cum autem non possemus in omnibus convenire, recessit a nobis velut in Angliam profecturus, & nos expectauimus, sequenti die ad Abrincam ciuitatem ituri. Postera autem die venerunt ad nos Lexouiensis episcopus, & duo archidiaconi, & concessio quod petebamus, ad prædictam processimus ciuitatem. Ad quam dominica, qua cantatur, Vocem incunditatis, convenimus cum personis plurimis, & ipsi nobiscum. Et cum tanta humilitate quod fuerat conditum expleuit, vt illius extitisse opus sine dubitatione credatur, qui respicit terram, & facit eam tremere. Sane, quam timoratum Deo, quam obedientem ecclesiæ se curauerit exhibere, non est opus præsentis abbreviatione referre. Satis enim opera illius manifestant, & manifestabunt adhuc plenius, sicut & nobis spes data est in futurum.

Primum itaque super morte sanctæ memoriæ Thomæ quondam Cantuariensis archiepiscopi, non de nostra exactione, sed de propria voluntate, tactis sacrosanctis euangelis, suam conscientiam expurgauit; iurans scilicet, quod nec præcepit, nec voluit quod idem archiepiscopus occideretur; & quando audiuit, vehementer doluit. Quia vero quod factum fuerat, ex sua occasione factum esse timebat: de satisfactione paranda tale præstitit iuramentum. Primo quippe iurauit, quod a domino papa nostro Alexandro, & eius catholicis successoribus non recedet, quamdiu sicut catholicum regem habuerint eum, & Christianum. Et hoc ipsum iurare fecit filium suum maiorem

in charta absolutionis pro morte beati Thomæ. Iuravit etiam & alia, clero & populo valde necessaria, quæ omnia diligenter, & per ordinem, sicut ea iurauerat, in absolutionis eius charta pernotauimus. Promisit etiam & alia de libera voluntate gerenda, quæ non oportet scripturæ serije denotare. Hæc autem scripsimus, vt cognoscatis ipsum obedientem Deo, atque ad diuinum obsequium multo amplius quam adhuc fuerit animatum. Noueritis ad hoc filium suum de prædictis consuetudinibus pariter cum eo iurasse. Sane, quod ibi factum est, iterato adhuc, ne dubitationis locus alicui remaneret, apud Cadomum in maiori frequentia personarum publice statuit se acturum. Relaxauit præterea episcopos de promissione, quam ei fecerant de consuetudinibus conseruandis; & promisit quod non exiget in futurum.

Hucusque legatorum epistola, pergit auctor: *In crastino autem prædicti cardinales ibidem celebrauerunt magnum Concilium cum archiepiscopo, & episcopis, & clero Northmannie; & ibi hæc decreta subscripta statuerunt, & vniuersis firmiter & inuiolabiliter obseruanda inunxerunt.*

*Decreta per Theodinum & Albertum cardinales  
apud Abrincas promulgata.*

I.

Pueri ad regimen illarum ecclesiarum, & ad illa administranda, in quibus cura est animarum, minime admittantur,

II.

Item filii sacerdotum non ponantur in ecclesiis patrum suorum.

III.

Item laici partem oblationum in ecclesia non percipiant.

IV.

Item ecclesiæ vicariis annuis non committantur.

V.

ANNO  
CHRISTI  
1172.

V.

Item sacerdotes maiorum ecclesiarum, quibus ad hoc suppetunt facultates, alium sub se presbyterum cogantur habere.

VI.

Item sacerdotes non ordinentur sine certo titulo.

VII.

Item ecclesiæ ad firmam annuam non tradantur.

VIII.

Item de tertia parte decimarum nihil presbytero, qui seruit ecclesiæ, auferatur.

IX.

Item his, qui decimas hereditario iure tenent, licentia sit, cui voluerint, idoneo clerico dare, eo quidem tenore, vt post eam ad ecclesiam, cui de iure competunt, reuertantur.

X.

Vir ad religionem non transeat, vxore in sæculo remanente, vel conuerso, nisi ambo vacandi operibus carnis tempus excefferint.

XI.

Item in aduentu Domini, omnibus qui poterunt, maxime autem clericis & militibus, ieiunium & abstinentia carnum indicatur.

XII.

Item clerici iudices non ponantur ad iurisdictiones sæcularium potestatum administrandas. Qui autem hoc præsumperint, a beneficiis ecclesiasticis arceantur.

Concil. Tom. 27.

Ddd

## XIII.

Item de nouis libris excommunicatorum, & rebus morientium, quas auferunt sacerdotes, & benedictionibus sponfarum, & baptismo, & de quadraginta & octo libris, quæ pro absolutione excommunicatorum exiguntur, nihil perfectum est, quia episcopi Northmanniæ illud decretum recipere noluerunt.

Pergit Rogerus: *In eodem vero Concilio archiepiscopus Turonensis calumniatus est archiepiscopatum Doli debere adiacere archiepiscopatus suo, affirmans sedem archiepiscopalem ibi esse non debere. Sed clerici de Dolo constanter contradicebant.*

\*\*\*\*\*  
\* CONCILIVM LONDONIENSE, Ann  
C. 1171

QVO XVIII. CANONIBVS CONSTITVTIS, iudicata est causa Richardi Cantuariensis & Eboracensis archiepiscoporum, anno MCLXXV. sub Alexandro papa III.

## NOTA.

\* *Concilium.* ] Rogerus acta Concilii, Canonesque in eo constitutos describens, ista refert: *Et venientes Londonias inuenerunt Richardum Cantuariensem archiepiscopum apud Westmonasterium celebraturum Concilium, die dominica ante ascensionem Domini. Ad quod Concilium venerunt fere omnes episcopi & abbates Cantuariensis diocesis. Et coram prænominatis regibus & episcopis & abbatibus, Richardus Cantuariensis archiepiscopus in eminentiori loco constitutus hac decreta subscripta promulgauit.*

## CANONES CONCILII LONDONIENSIS.

## I.

Ideo in ecclesia Dei secundum antiquam patrum consuetudinem Concilia congregantur, ut hi, qui constituti sunt in eminentiori cura pastoralis, vitam subditorum de communi consilio regularibus institutis informet, & enormitates, quæ pullulant incessanter, consultiore censura compescant.